



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes
Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

Hi, si testimonium Pastoris afferant, nequam eujusquam mulctæ subiaceant, pro ut etiam de jure & fori, & poli immunes sunt. Quamvis alias in puniendis hujusmodi excessibus ac Prævaricatoribus (quos Pastores etiam denunciare teneantur) pœnâ maximè Ecclesiasticâ, subordinatos Nobis serio in Domino hortamur, diligentiamque commendamus.

DECRETVM IV.

ET quia restitutâ nunc Germaniæ pace, & publico exercitio, non decet ab Universali Ecclesiæ piis ritibus, & consuetudine deviare; Mandamus, ut non tantum generales ab Ecclesia præscriptæ, sed etiam particulares ejusque loci Processiones, cum debita devotione, & ædificatione proximorum celebrentur. Declaramus autem generales, ab omnibus ubique Catholicis observandas processiones quæ sequuntur:

In solennitate, vel festo Purificationis.

In Festo Palmarum.

In Festo S. Marci Euangelistæ.

Tribus diebus Rogationum.

In solennitate Sanctiss. Corporis Christi.

In tribus Dominicis post festum Corporis Christi, dictæ die Hagelsfeyr.

In Dedicatione & Patrocinio Ecclesiarum, falvis ubique particularibus devotionibus. Processiones autem hujusmodi omnes & singulæ, cum debitis, approbatis, vel præscriptis cantionibus ritibusque, & servato populi ordine fiant, amotis scandalis, potationibus, comestionibus, aliisque non licitis, vel pietatem aliorum impediens, pro ut ante hac constituimus; in quo Pastores sedulo attendent, errantesque corrigent, incorrigibiles aut eorum graviores excessus deferent.

DECRETVM V.

Hvc etiam spectat cultus templorum, ac sacrarum imaginum, qui, si modeste & graviter observetur, ac omnia munda & nitida sint, multum ad devotionem facit; uti, si in vanitates & inutiles ornatus degeneret, aut particularis aliquis affectus, ac phantasia concurrat, noxius est. Hinc præter ea quæ Conc. Trid. Sess. 25 disponit, Nos, cum ornatum (quem pro more & vanitate horum temporum in populo videmus) etiam statuis præsertim B. Virginis adhiberi dolenter conspiciamus; omnem illam vanitatem vestium, ipsaque collaria, pileos, crines item veros, aliaque similia quam primum omnino tolli mandamus, sub pœnis Rectoribus Ecclesiarum imponendis. Prohibemus similiter tempore Quadragesimæ vestes illas albas, quibus ex abusu imagines

capite tenus obducuntur, & devotionem nullam excitant: sed cum juxta ritum Romanæ Ecclesiæ, & antiquissimam consuetudinem aliarum, eo jejunii tempore tegendæ sint, totæ etiam obducto velo cooperiantur. Porro, ut melius constent Sedis Apostolicæ declarationes circa cultum sacrarum imaginum, definitionem atque binas bullas novissimas Urbani VIII Pontificis hæc promulgamus, serioque omnibus quorum curæ est demandamus, ut templa, altaria, ornamenta, ac vasa sacra, pro eâ, quæ rem tantam decet, reverentiâ & majestatem, nitida & munda servent & habeant.

*Hæc in fine
hujus Syn-
odi ponun-
tur sub lit-
ris A.B.C.*

DECRETVM VI.

QVandoquidem sine temporalibus subsidiis Ecclesiæ conservari vix possunt, & notabilis damnum ex considerata alienatione bonorum hætenus fenserunt; nulli liceat inconsulto summo Pontifice aut Nobis, bona quæcunque vel in perpetuum, vel ad tempus alienare, aut quovis modo diminuere: & quidem nunquam, nisi in evidentem Ecclesiæ utilitatem vel necessitatem, cujus cognitio ad Nos, & ad nullum inferiorem vigore Canonum spectat.

DECRETVM VII.

QVamobrem volumus, ut Decani locorum singulis annis bis, in vere & autumnis fabricam Ecclesiarum & quarumcunque domuum ad eam spectantium assumptis peritis visitent, & si quæ emendanda judicaverint, illico demandent: Et quod si Pastores, Aeditui aut Ludimagistri, vel quicumque Ecclesiarum ministri, vel ipsi Beneficiati in eo negligentes fuerint, Nobis in Synodo denuncient, ut auctoritatem Nostram interponere, aut etiam, si quem interim mori contigerit, ex hæreditate damnum resarcire valeamus.

DECRETVM VIII.

VTque & Nobis, & Successoribus Nostris tantò accuratius constare possit quæ bona, domus, agrive ad Ecclesias, earumque proprietatem, aut protectionem spectent, & omnis ansa imminuendi præscindatur: Volumus ut singuli Decani intra tres menses, id est ad festum S. Petri Apostoli, designationem omnium ædificiorum & agrorum ad Ecclesias, earumque Rectores vel Ministros spectantium, cum suis limitibus ac juribus specificè designatis, in quorum possessione sunt, aut esse debent, Nobis deferant ad Archivium

repo-